

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

D. Adami Rechenbergii Paraenesis Ad Nobilissimam Studiosam Juventutem Lipsiensem, Super D. Th. I. Praelectionibus De Statu Induratorum

**Rechenberg, Adam
Ittig, Thomas**

Lipsiae, 1701

VD18 10514082-ddd


urn:nbn:de:bsz:31-105742

III

Gymn 4770

~~I B 2 12~~

g 9160



D. ADAMI RECHENBERGI
PARÆNESIS

Ad
*Nobilissimam Studiosam Juventutem
Lipsiensem,*

[1.] Super
D. Th. I. Prælectionibus

De
STATU INDURATORUM,
publice dictatis, & nunc temere
publicatis.

L I P S I Æ,
Apud JO. HEINICHII VIDUAM.
Literis Richterianis, 1701.

1801 Gym 4970

D. ADAM RECHENBERG
PARANESIS

Nobilissimum Studium Joventutis
Lipsiense

D. Th. I. Prelectionibus

De
STATU INDURATORUM

publice dictis, & tunc temere
publicis

APRILIS

Apud JO. HEINRICH. VIDUAN.

Licentia Lipsiensi 1797



Uibus animi morbis saepe viri non contem-
nenda eruditionis agitentur, vos, *Viri. Ju-
venes optumi*, qui libellos eristicos, quorum
affatim magna est copia, evolvistis, latere
nequit. Alteri nempe invidere, philautia
& ambitione laborare, placita semel, ex er-
rore licet, admitta mordicus tueri, vitia
multis eruditis familiaria esse, quis nescit? Utinam vero, qui di-
vinas literas, & ἐπιγνώσιν τῆς ἀληθείας καὶ εὐσεβείαν profitentur,
ab istis semper immunes essent; cum sanctissima optumi Magi-
stri nostri disciplina (Christianam puto) id maxime requirat,
pejorique in publicum exemplo, hac in parte peccetur. Enim-
vero sive veteris sive recentioris Ecclesiae annales consulimus,
inde ab ejusdem incunabulis, litigiosi subinde reperti sunt docto-
res, qui temere aliis, super hoc aut illo Christianae fidei capite, li-
tes moverint, atque pacem & tranquillitatem à CHRISTO tan-
topere commendatam in Ecclesia turbarint. Quam vellem
ego, ut afflictà hanc rerum facie, in nostra Ecclesia minus esset liti-
giorum, quae populi animos in diversa sensa trahunt, multosque
inprimis autem Studiosam Juventutem offendunt. Mallet,
quod dolenter dico, nescire literas, quam cum Collega, quem
integerrimum mihi antehac amicum credideram, de quaestione
fatis quidem ardua, sed diu in Ecclesia nostra ante nota atque de-
terminata, publice decertare. Novi enim quae inde offendicula
aliis, praecipue autem vobis nascantur. Sed nisi divinae veritatis
proditor, ἀνθραπιάσεσκος, famaeque prodigus esse velim, id mihi
non amplius integrum est. Non enim satis meo fuit Aristarcho,
pro sacris rostris in me detonuisset, & post editum alterum frivo-
larum vellicationum specimen, me publice invasisset; nisi etiam
A 2
quas

quas ante adversus me, Germanico sermone chartas felle tinctas
 scripsisset, in Latinum idioma conversas, Studiosæ juventuti
 turbandæ, inaudito hætenus Lipsiæ more, in calamum dictas-
 set, ac deinde typis publicis Wittebergæ & hic Lipsiæ exscriptas
 divulgari passus esset. Vestram fidem *Juvenes optumi*, qui bonos
 mores amatis, ac prudentiæ Christianæ regulas non ignoratis, ap-
 pello: annon mihi viri hæc, ut molliori vocabulo dicam, importu-
 nitas, cum defendendæ orthodoxiæ tum existimationis meæ ne-
 cessitatem imposuerit? *Dissertationem de Statu induratorum*, mo-
 re in Academiis usitato proposueram, ad ventilandum, omnibus
 Θεολογῶσι, ipsi etiam Aristarcho meo, si libuisset, in palastram des-
 cendendi libertate permissa; ut quos haberet circa hanc materiam
 scrupulos, coram eruditorum cœtu expromeret. Nullius viri à me
 dissentientis nomen in istac vellicaveram, aut duriusculo vocabu-
 lo ullum notaveram. Rem ipsam tractasse contentus, *termini*, ut
 vocant, *peremptorii gratia* ne mentionem quidem, ut in fron-
 te prælectionum litigiosarum editor, Lipsiensis tenebrius turpi-
 ter mentitur, feci. Hanc tamen dissertationem, quam in acroa-
 terio publico, Aristarcho meo aggredi fas erat, defugit, in alia
 cathedra, contra omne jus fasq;, hinc inde confictis strophis con-
 vellere molitus. Cum autem divino humanoque jure *civis*
 mortalium, adversus publicos aggressores arma expedire liceat;
 mihi, spero, nemo cordatus crimini dederit, si pari jure usus,
 meum aggressorem hic amoliar, atque contra strophas ejusdem
 divinam veritatem, post concisos cavillationum manipulos,
 laceffitibus porro asserere intrepide pergam. Coram Deo autem
 & universa Ecclesia testor, me invitum in hanc scenam, à qua
 semper abhorruï, descendisse: præsertim adversus virum, quem
 per sex integra lustra sincere amavi coluique constanter. At nunc
 mutato ejus in me animo, causæ sat graves subigunt, aliter de eo
 sentire. Eruditione aut ingenio ut pollere credamur, an minus,
 parum interest. Sed ne pestilentes aut desperatas Christianis-
 moque noxias opiniones fovere, aut in publicum spargere videa-
 mur,

mur, usque adeo interest, ut magnum crimen sit, ejusmodi criminationem publicam abs se non depulisse; & ejusmodi cavillationibus fidem adstruat, qui non refellit. Equidem si solum eruditionis aut ingenii certamen ageretur, facile probarem eorum sententiam, qui ex illa parte illatas injurias generosò vindicare silentio, pacis causa svadent. Verum hic cœlestis veritatis & famæ quæ cuivis Christiano curæ esse debet, agitur. Indignissimus sane munere forem, quod *S. R. MAJESTAS POLONIARUM ET SER. EL. SAXONIÆ* mihi clementissime imposuit, nisi has cavillationes, quibus acerrimus famæ meæ hostis, veritatem divinam in sinistram partem detorquere, mihiq; fœda & absurda dogmata affingere paravit, discuterem. Vos autem, *Viri-Juvenes Optimi*, quâ par est humanitate rogo, ut seposito partium studio, dictata *viri* typis publicis jam in duobus locis impressa, cum responsionibus meis, animo pensitetis ac arbitremini; uter nostrum veritati divinæ, uter male-oculatis affectibus litaverit; & an scrupuli vobis frivote injecti à me in hac parænese exemti sint.

Quæ Aristarchus & Censor importunus, in *Digressione sua apud dialogos* facta, *Thef. I.* de Pontificiorum controversia, circa induratum in hac vita statum, mota, velut præfationis loco deserit, hæc non pertinent; cum istarum scholasticarum litium telam, quæ prolixior est, quam ut breviter tractari queat, in Dissertatione mea de *Statu induratum* §. XXVI. hic intexere aut retexere declinarim. Et si modestiam Jesuitæ *Germani Bescheferi*, hac in parte, meritò ibidem laudaverim. Quando autem Antagonista meus *Thef. II.* de momento hujus controversiæ Socinianos inter & Arminianos agitata, ex *Calovii, rō paxa ejus Consideratione Arminianismi* memorat, ut vestros *Juvenes optimi*, animos callide præjudiciis occupet, jam in *IV. Additamento* (in *der vierten Beylage*) undius quartus publicato, ad istam criminationem pag. 130. seqv. respondi; quod aut imperite, aut maligne nostram, quæ orthodoxorum est, sententiam cum improbis Socinianorum placitis confundat, mihiq; perperam Arminiano-

rum Judicium de Socinianorum sententia falsa quidem, sed ex Arminianorum mente, tolerabili tamen in Ecclesia affingat: cum ego & Socinianorum crassissimum errorem, & Arminianorum *inixoriv* falsissimam rejecerim, ac Calovii sententiam mente manuque adprobarim, & adhuc sincere adprobem. *vid. Disput. de Term. gr. revocat. §. 13. Additam, II. in annot. p. 26.* Itaque non est, ut mihi Calovii auctoritatem, quam alias venetor, hic obvertat, aut ægre ferat, quod Bescheferi modestiam, quâ ipsum, hac quidem in parte antecellit, liberaliter dilaudarim. Nec ad me pertinet, quid Pastor quidam Silesius, de conciliandis nostris sententiis, in Epistola ad filium senserit. Viri tamen istius pietatem & moderationem animi laude sua privare velle, temerarium judicaverim: cum pax & quies bonis & honestis artibus semper quærenda sit.

Rectius autem meo quidem iudicio, Antagonista meus fecisset, si antequam litem hanc retexere exorsus esset, prius quod disputantium regulæ exposcunt, *statum cause vel controversie* liquido formasset; ut Auditores sui inde perspicere melius potuissent, qua de re cum Collega, tam insolenti more litigare constituisset. Enimvero illum suo more, hoc est, confuse dictatis suis sparsim involvit; ut qui scripta mea non evolverit, nesciat, quid tam operosè impugnare velit; nisi quod *Thef. sua III. prodat*, se disputationis meæ de *Statu Induratum §. XXXIII.* imprimis vellicare instituisse. Quando enim all. §. 33. nego, ex *Ezech. XVIII. 32.* probari posse, Deum refractariis ac penitus induratis gratiam usque ad vitæ finem, consequente voluntate judiciaria semper impertire velle; cum isti nec velint nec possint penitentiam amplius agere, me imperite *petitionis principii* arguit; ac si autor & defensor sententiæ alicujus *principium*, ut in scholis loquimur, *petere* possit. Nolle enim debebat Censor, id criminis Scholastici non Respondentem, sed Opponentem admittere; adeoque ipsum merito ejusdem hic postulari posse. Quod autem dictum *Ezech. XVIII. 23, & 32. it. c. XXXIII. II.* cum B. D. Seb. Schmi-

Schmidii explicatione repetit, eoque errorem suum toties dilu-
tum incrustare contendat, frustra est. Syllogismus inde talis ex
ipsius mente confici potest:

*Quicumque non vult mortem impii morientis, ille vult etiam pœ-
nitus induratis gratiam suam usque ad vitæ finem impertire:
Atqui Deus apud Ezechielem l. c. non vult mortem impii morien-
tis: Ergo &c.*

In hoc Syllogismo major propositio illimitata, oppido falsa est:
Primo igitur illa ex communi Theologorum doctrina, hoc mo-
do limitanda est: *Quicumque non vult mortem impii morientis
voluntate antecedente & consequente judiciaria, adeoque absolute,*
is penitus induratis gratiam suam usque ad finem vitæ impertire
vult. Hac limitatione addita, *Minor* propositio aperte fallit.
Deus enim *voluntate consequente judiciaria*, ut justus iudex mor-
tem impii indurati ac inconvertibilis vult: nisi Deo nolente & in-
vito eum in peccatis mori, statuere quis cum D. Hubero velit. v.
S. XIX. *Disput. de Statu induratorum.* Deinde falsum est, Eze-
chielem de morte naturali aut corporali, ut quidem Antagonista
meus cum Socinianis existimat, loqui. Ex textu enim B. D. Kor-
tholdus in *Disput. me ap. 31.* allegatus, post Osiandrum probat, il-
li de morte Spirituali ac aeterna, quam Israëlitæ, si pœniteant,
effugere possint, sermonem esse accuratè probavit. Et B. Scher-
zerus noster in *Colleg. Anti-Socin. p. 736.* ad Smaleii exceptionem,
quod Propheta mortem temporalem, non aeternam (ut meus
Antagonista) hic intelligat, respondet: *id frivolum esse.* Ob-
vertit quidem hic laudati Schmidii autoritatem, qui in *Disput.*
allegata, ex hoc Ezechielem oraculo colligit, *voluntatem Dei mise-
ricordissimam in objectum miserabile & convertibile ferri; hoc au-
tem objectum convertibile, dicere, esse omnem hominem nulla exclu-
so, cum omnis homo sit convertibilis; Diabolus autem tanquam ob-
jectum non-convertibile excludatur.* Statuit ergo, Noster Anta-
gonista ait, Schmidius *thes. XXII. & XXIII. ex eodem prophetico
dicto, Subjectum pœnitentiæ esse impium & quidem omnem; nullum
hominem*

hominem viventem, sed Diabolum esse inconvertibilem. Sententiam hanc B. Schmidii admitto, proboque, salva thesi mea. Nam primo is de voluntate Dei antecedente loquitur; deinde *in sensu diviso, non composito*, verba sua intelligi vult. Deus omnium peccatorum etiam induratissimorum ac reproborum misertus est, eosque omnes salvos serio voluit & vult; at non *quatenus indurati & propria culpa inconvertibiles facti sunt*. Interim & hos, antequam inconvertibiles fierent, à misericordia sua non exclusit. Rom. XI. 32. Sed instat, *solum Diabolum esse inconvertibilem*. Concedo, si cum Schmidio id absolutè intelligas: Is enim nec potentia obedientiali, ob apostasie suæ & rebellionis admiffæ atrocitatem, conversionis gratiam consequi potest. Potest vero omnis homo, si non malitiosum gratiæ sive primum vocanti sive revocanti ponat obicem. *Dannhaueri* autoritas, quæ mihi magni est, etiam obvertitur ex *Lact. Catech.* part. VI. conc. XXIV. qui ne quidem peccatores in Spiritum S. à misericordiâ Dei excludi debere, asserit. Verissimum & hoc est, si illos *in sensu diviso*, non vero *in sensu composito* consideres. Id quod toties quoque asserui, quoties illorum in hac materia mentio facta est. Verum Antagonista meus propter distinctionem voluntatis anteced. & consequentis hic adplicatam, me, ut putat, *Syllogismo ἀλλοτρίῳ* constringere nunc connititur. Sic enim argumentatur:

Quoscunque Deus voluntate suâ antecedente salvos esse cupit, illi sunt convertibiles:

Atqui etiam induratissimos, quin & peccatores in Spir. S. Deus ex voluntate sua antecedente salvos esse cupit:

Ergo etiam induratissimi, quin & peccatores in Spiritum S. sunt convertibiles.

Major, dicit, est autoris der ersten Beylage p. 36. Minor est autoris *Epist. ad Rosteuscherum.* pag. 19. & 40. His autem premissis positis, autor etiam conclusionem tenetur admittere, quæ ipsius sententiam de statu induratorum funditus evertit. Ad hunc nodum solvendum, non opus est Alexandri M. gladio, sed sanæ tantum & Christi-

anæ

anae rationis usu, quae Antagonistam meum hic fugisse videtur. *Primo* enim minus candide ex verbis der ersten Beylage/ quae ita habent: Nach dem vorhergehenden Gnaden-Willen/ will Gott alle Sünder/ NB. die sich bekehren lassen/ selig haben; aber nach den folgenden Gerichts-Willen will er den böshafftigen Verächtern seiner Gnade/ und ungläubigen verstockten Sündern seine Gnade entziehen und sie zeitlich und ewig straffen. *Hic Juvenes-Optimi* judicate; an major propositio, quam Antagonista nectit, in meis hisce contineatur verbis Germanicis. Sed esto, illorum hanc esse sententiam; respondeo *primò καὶ ἔπειτα*: Deus voluntate antec. salvos esse cupit damnatos in inferno, ex quo nulla redemptio: Ergo damnati adhuc sunt convertibiles: *Secundò* distinguo inter peccatores induratos in *sensu diviso*, & *composito* consideratos; *in priori* sunt convertibiles; *in posteriori*, hoc est, quatenus jam penitus induruere, non. Sic Deus justificat *impium Rom. III. 5.* non in sensu composito, quatenus impius, sed *diviso* seu specificativo, qui impius fuit. Cæci vident, non reduplicative, sed specificative, qui cæci ante fuerant, &c. Ita indurati antequam tales facti sunt, fuerunt *convertibiles*, postquam verò per summam malitiam occalluere, *inconvertibiles* facti sunt. Desinat ergo Antagonista mirari, quod minorem propositionem, quam adfert, non jam pridem revocaverim. Ego potius miror, ipsam tantam animi pervicaciam induisse, quod quæ vel lippus videre poterat, videre nolit. Alias enim non cum D. Hubero, in der Rettung seiner Bekänntniß von der Gnaden-Wahl/ p. 196. seqq. ita nugatoria & insipida reduplicatione, voluntatem Dei antecedentem universalem absurde eludere ausus esset. At rationem illusoriae reduplicationis confictæ reddere vult: *Si enim*, inquit, *licet dicere, quod Deus induratissimos quosque voluntate antecedente salvos velit, quatenus antea, cum nondum indurati essent, eos salvos voluit; licebit etiam dicere, quod Deus Diabolos item damnatos, antequam laborerent & damnarentur; & damnatos, antequam in Gehennam detruderentur,*

B

tur,

tur, salvos voluit, quæ interpretatio, quàm absona sit, proluxa demonstratione haut eget. Verum mirari quis possit, virum tam acutum cernentem & orthodoxum negare posse, Deum ante lapsum Angelorum, malos Angelos æternum voluisse salvos & beatos mansisse. Nolim enim putare, ipsum, cum Calvino & assæclis ejus arbitrari, Deum lapsum Diabolorum voluntate antecedente voluisse. Si enim illos ante lapsum noluit æternum salvos atque beatos esse; necesse est statuatur, Deum illorum lapsum & damnationem voluisse. Cui orthodoxorum ita loqui, aut sentire licet? Deinde etiam nullum orthodoxum Theologum negasse unquam memini, quod Deus damnatos omnes antequam in Gehennam detruderentur, voluntate antecedente, & quidem addita censoris reduplicatione, nugatoria quidem (quatenus antea, cum nondum essent reprobri, aut in signo rationis, ut reprobri & damnati considerentur) salvos voluerit. Nemo hoc, nisi Calvinianus, negabit. Cæterum, vero recordari noster *Antagonista* etiam debebat, quod hîc de induratorum hominum, non diabolorum inconvertibilitate, quæ post eorum lapsum ob defectum Salvatori absolutè negatur, disputetur, quæ ex hypothefi, ut sapius dictum, talis est. Sed novum argumentum in gratiam penitus induratorum & excœcatorum *Antagonista* dicitur, quod, si formam addas, tale est:

Quæ interpretatio dicti Ezechielis c. XVIII. & XXXIII. dulcedinem promissionum Evangelicarum vanam reddit, illa non potest habere locum.

Atqui ea Theologorum interpretatio, quod Deus voluntate antecedente impii indurati mortem nolit, talis est. Ergo.
 Transeat *Major*, Minor est falsissima. Ut enim DEUS, licet omnium misertus sit, nusquam ex omnium Theologorum orthodoxorum consensu, absolute & sinerespectu ad pœnitentiam & fidem, impiis induratis & excœcatis gratiam suam revocatricem semper usque ad mortem reiterare atque concedere promissit: ita etiam ex hoc loco Ezechiel. id nulla ratione probari potest.

est. Nec tamen ideo, si id negetur, inde fontes solatii Evangelici obstruuntur. Satis solatii est, quod omnibus gratiam salutiferam in verbo & Sacramentis largiter ante indurationem obtulerit, atque serio impertiri voluerit. Si promissionum gratia svavitas evanesceret, ubi illa intra divinam *razem*, ac revelatum ordinem intelligantur, sapientissima Salutis Oeconomia à Christo & Apostolis manifestata, immutanda foret. Constat enim omnes promissiones gratia, quantum ad usum & fructum attinet, limitatas esse, *Job. III. 18. Marc. XVI. 16.* Neque inde quidquam fides aut spes Christianorum imminuitur. Perinde, ut nemo Principem inclementem aut minus gratiosum dixerit, qui omnibus civibus suis morigeris & fidelibus gratiam & tutelam pollicetur, sed immorigeris ac rebellibus iram & supplicia minatur: Ita & gratia Dei erga humanum genus ineffabilis abundantia, affatim solatii omnibus pœnitentibus in Christo adfert; licet refractarii & indurati ab ejusdem copia, propter perseverantem incredulitatem excludantur. Quod *Antagonista* meus hic Israelitas de salute & gratia Dei sollicitos, fingit *desperabundos & induratos*; id, si fidem mereri vult, ex textu probare debuisset. Satis solatii per Prophetam istis suppeditavit, quod ipsos, si pœniteant, Spirituali & aeterna morte plectere nolit. Provocat quidem nunc ad *Dannhaueri Hodomo. Calvin. Phant. VI. p. 1376.* qui affectum divinæ misericordiæ hic *catholicum cum subiecto, tum tempore* describit, quia *Evangelia sint amplissima interpretationis, nec hic excipi impius convertibilis ullus debeat, quem Deus non excipit, is autem (nostri Antagonista hæc glossæ est) nullum hominem viventem excipit; sed etiam tempore usque ad ultimum vita halitum, usque ad ultimum hominis esse, & primum non esse, post quod primum non esse, vivere desinit.* Ter hic Censor noster, *Dannhaueri* verba, pro errore suo palliando allegans, impingit: *Primo* *Dannhauerus* disertè de *Convertibilibus* loquitur; ipse vero ad *inconvertibiles*, hoc est, *induratos* verba ejus trahit: *Secundo* illis parenthesis infarcit, (*Deus nullum ho-*

minem viventem excipit) id quod de voluntate consequente hic
 est τὸ κρινόμενον: Tertio Dannhauerus seqv. pag. 1380. expresse
 Ezechielis verba, de decreto Dei antecedaneo, quod est volun-
 tatis antecedentis, nobiscum interpretatur. Dabo vobis, Ju-
 venes-Optimi, ipsius Dannhaueri verba: Falsum est, inquit,
 Deum decrevisse NB. DECRETO ANTECEDANEO, mor-
 tem impii adhuc CONVERTIBILIS: Nam de hoc Dominus
 hic agit, NB. NON DE DECRETO CONSEQUENTE, de
 impio, qui NB. NISI RESISTERET, divinitus converti pos-
 set; non de NB. DESPERATO IMPIO, qui jam extra fines
 Ecclesie POST CLAUSAM GRATIÆ JANUAM EFE-
 CTUS, non amplius converti potest. Expendite hæc verba, Ju-
 venes lectissimi, & an bonâ fide Antagonista meus Dannhau-
 rum erroris sui testem habeat, edicite. Quæ enim ^{augustinus} ^{alios}
 Theologus, de convertibilibus & voluntate Dei antecedente diserte
 exponit, ipse contra mentem autoris, in suum verbis sensum
 illatum torquere vult. Non meliore fide Varenii verba ab ipso
 allata tractat. Cum enim illa de voluntate Dei antecedente ex-
 audienda sint, secundum quam Deus nullius impii aut reprobî, in
 ipso improbitatis actu morientis interitum velit aut desideret;
 Censor noster de judiciaria Dei voluntate erga induratos etiam
 qua tales sunt, interpretatur; ac si Deus hosce ante mortem, licet
 refractarii maneant, gratiâ non excluderet suâ. Sane ipse lau-
 datus Varenius in Paulo Evangelista Roman. Disput. X. super cap.
 IX. Rom. pag. 334. exemplo Pharaonis probavit, quod Deus illi
 omnem respicientiâ gratiam, ante mortem abstulerit. Clarius
 de induratorum fixo gratiæ termino in hac vita, in Opifodromo
 Paulino. Rom. p. 462. seqv. disserit. v. Additam. III. p. 73. Absur-
 dum igitur valde est, ex loco hoc Ezechielis penitus induratis gra-
 tiam Dei polliceri velle. Quod autem D. Kortholdi à me in dis-
 put. cit. §. 33. allata verba capere nequeat aut nolit, causam hario-
 lari aliam nequeo, quam quod ejusdem interpretatio genuina,
 falsam suam sententiam, quam defendit mordicus, evertat. Ad-
 ponam

ponam integra ex ejusdem Disputatione verba memorata §. VIII. Et ne quis causetur, ait Kortholdus, non de spiritali & aeterna, sed corporali eaq; violenta morte loqui Prophetam (Ezechielem) considerandum proponimus, quod sermo ipsi sit de morte, à qua 1.) justus exemptus est, cap. XIII. 21. sqq. Qui certe à morte temporali violenta non semper est immunis: 2.) cui impœnitens necessario & inevitabiliter est subiectus, ibid. Id quod de morte temporali violenta non potest accipi, quum multi impœnitentes naturali morte moriantur. Judicate nunc, Optimi Juvenes, an juxta hanc, quæ & Offandri & communis nostratium est interpretatio, nova Antagonistæ mei opinio quidquam roboris in hoc Ezechielis oraculo inveniatur: nempe induratis gratiæ fores ad mortem usque patere. Cum ne quidem hic de morte corporali, Prophetæ sermo sit, ut Sociniani quidem & Noster statuunt. Quæ sub finem *Thef. III.* adjicit, nostræ sententiæ nihil derogant.

At *Thef. IV. dictatorum*, per *coccyssum* (quæ ipsius modestiæ vox est) recinit dicta sacra *1. Tim. II. 4. 2. Petr. III. 9.* quæ gratiam Dei universalem, qua de hic non quæritur, probant. Quæ deinde in lavum conversus, ut vobis, *Juvenes nobilissimi*, imponat, cavillatur, ac si in Epistola ad Rosteuscherum p. 23. dicta jamjam allegata, de gratia Dei universali, ad solos pœnitentes fuissent restricta, verborum cavillationem, & *ἀπασίας τῆς διανοίας* aperte produnt. Verba Epistolæ nominatæ hæc sunt: *Dicta hæc, inquam, gratiam Dei revocatricem esse universalem, ac voluntate ejus (DEI) antecedente gratiosissima, ad omnes peccatores etiam re lapsos, sed pœnitentes pertinere, nemo sana mentis negare ausit.* Hæc fraudulenter torquere in sensum Piscatoris, Calviniani Doctoris nititur; ac si cum illo, ex absolute fixo termino peremptorio & fatali, gratiam Dei universalem, & quidem voluntatis antecedentis, (quam Piscator tamen negat,) ad solos pœnitentes restrinxisset. Oportet ipsum nescire Calvinianam hypothesein, de gratia particulari ex absoluto decreto ad solos electos pertinente, & tritam in scholis nostris distinctionem inter *oblationem* gratiæ seri-

am, & participationem seu fructum ejusdem. Utrumque ego citatis verbis assero; Gratiā Dei saluiferam omnibus peccatoribus ex voluntate Dei antecedente offerri, etiam relapsis; sed penitentes ejusdem fieri participes, ac fructum sentire salutarem, non vero induratos. An hoc Piscator vel alius Calvini affecta unquam statuit? Gerhardi mens hic & mea est. Nec Brochmandi verba ab ipso allegata, mea de induratis sententia repugnant, quando is ex Pauli & Petri dictis probat, putidissimam esse assertionem eorum (Socinianorum & Calvinianorum) qui dicunt, ita Deum excœcare Judæos & Turcas ac gentiles, ut licet velint, non tamen possint Christum agnoscere. Agit enim ibi Brochmandus de peccato c. VIII. qu. 2. An Deus decernat & velit aliqua peccata, saltem quatenus aliorum peccatorum pœna sunt? At hanc respondet negando, & objectiones Socinianorum & Calvinianorum refellit. Quod etiam Chemnitius; Hunnius & Hutterus prolixè ante eum fecerant. Nempe Deum excœcare, scribit, uon ingenerando ipsis (excœcatis) errorem, non incitando ipsos ad arripendum auide mendacia: Nam errorum & mendaciorum pater est Diabolus Job. VIII. 44. & non Deus, 1. Job. II. ib. sed efficaciam erroris efficaciter immittere dicitur Deus, NB. QUIA SUBTRAHIT GRATIAM, qua resistere debebant Diabolo & Diaboli satellitibus, falsa & fanatica dogmata spargentibus; idque quia noluerant credere veritati, non alio nomine ipsis à Deo revelata, quam ut saluarentur. 2. Thessal. II. 20. Hæc verba Brochmandi sequentia Censor noster callide in calamum dictare omisit, ne fraus patetceret admilla. Disertis enim verbis Brochmandus mea sententia adstipulatur: quod Deus excœcatis & induratis gratiam suam subtrahat & Diabolo permittat & c. Sed, quod loc. de Grat. DEI cas. Conf. VI. p. 626. adhuc clarius exponit: Quos Deus, inquit, ad resipiscentiam gratia sua sepe vocavit, sed tamen Deo mera contumacia resisterunt, adeo ut quo ipse blandius invitavit, eo illi contumacius vocanti Deo reluctati sunt; his demum NB. JUSTO FUDICIO

*DICIO GRATIAM SUAM SUBTRAHIT, NEC EA
NB. IPSIS AMPLIUS ADESSE VULT.* Antecedente
p. 629. scribit: *Deum ita misericordem esse, ut una iniustitia &
peccatorum rigidus vindex sit, Exod. XX. 5.* Putidum ergo est, ver-
ba Theologi negantis, Deum causam esse peccati & excocatio-
nis Judæorum & Turcarum efficientem; inde inferre, penitus
induratos gratia contumaciter ante rejecta, à Deo non penitus
deseri. Quæ in defensione sua (*Vertheidigung*) p. 34. verba de-
dit, in IV. Additam. p. 20. sqq. jam diluta sunt.

In *Thef. V.* me ex venerandi nostri Decani *Dn. D. Joh. Olearii*
Disputatione, de *Emundatione ab omni peccato per sanguinem Iesu*
Christi facta ex 1. Joh. I. v. thef. 19. convincere laborat, quod *καθαρισμός*
sanguinis Christi, etiam ad induratos & peccatores in
Spiritu S. pertineat. Sed quis hoc negavit? Ego certe nun-
quam. Sed *Censor meus* iterum hic non bona fide egit. Nam
in allegata *Dissertatione S. XIV.* omisit, quo Autor mentem or-
thodoxorum de *καθαρισμῷ* sanguinis Christi, quatenus ad indu-
ratos etiam spectat, clare exponit: *Probe vero, inquit, hic obser-*
vabis: ut ipse καθαρισμός à peccato dupliciter, vel in se, ut acqui-
situs; vel simul in usu, ut applicatus spectari potest: ita respectu
priori ejus objectum omnes in universum (*etiam reprobos, per*
hactenus probata) homines; *posteriori* autem solos fideles esse.
Illos igitur, quibus *jus ad rem* in Art. II. proponitur, *objectum ge-*
nericum & adequatum; hosce vero, ad quos solos *jus in re & fru-*
ctus in Artic. III. restringitur, *specificum & exohicicum recte dice-*
mus. *Utrumque DISTINCTE* sistit locus: *Deus est Salvator*
omnium hominum; MAXIME fidelium, 1. Tim. IV. 10.

Videte, *nobilissimi Juvenes*, ut Antagonista hic callide ac-
quisitum *καθαρισμῶν* sanguinis Christi, qui ad omnes peccatores
etiam induratissimos spectat; & per fidem *applicatum*, confun-
dat. *Priorem* venerandus noster *Olearius* asserit, non *posterior-*
rem; quo de tamen hic quaestio est. Mihi autem inique affingit,
ac si asseruissem, quod peccatores in Spiritu S. *ob terminum per-*
empto-

emptorium ante fata fixum & jam elapsum, converti non possunt. Si boni & cordati viri nomen amat, producat verba mea, quibus hanc sententiam proposuerim; aut agnoscat se mihi injuriam fecisse. *Terminus*, quem Deus induratis fixit, non est *causa propter quam* illi converti nequeant, sed pervicax contumacia, & malitiosa repulsa gratiæ, quæ talium peccatorum propria est. quod ex *Dannhaueri Hodosoph.* p. 1422. (qui inter *impossibilitatem decreti* reprobatorii, absoluti, peremptorii, & *impossibilitatem vitii humani*, cum Hunnio, Huttero, Hülsemanno, Feuerbornio & aliis hic distingit,) ipse allegat, mente calamoque adprobo omnia, salva thesi mea de penitus induratis asserta. Cæterum, quæ de finali impoenitentia, an Christus etiam pro illa satisfecerit, admiscet, huc non spectant. Quæ *Dannhaueri*, *Meisneri*, nostri *B. Kronmayeri* & aliorum, hac de quæstione, sententia est, una distinctione ita breviter, ut meus Antagonista quidem putat, expediri non possunt. De *Judæ proditoris*, *Antediluvianorum*, *Pharaonis* & *Saulis*, in morte vel ultimo τῷ ἔσχατῳ vitæ conversionis possibilitate, quæ per *coccyismum* repetit, jam *Addit. II. p. 38. & Annot. p. 49. & III. §. 24. 25.* discussa sunt; ut molestum vobis, *Juvenes Optimi*, futurum sit, eandem cantilenam toties audire.

Urget verò noster Antagonista *Thes. VI.* dictum *Paulinum Act. XVII. 30. 31.* *Et tempora quidem hujus ignorantie despiciens Deus, nunc annuntiat hominibus, ut omnes ubique penitentiam agant: Eo quod statuit diem, in quo judicaturus est orbem equitate, in viro, in quo statuit, fidem prehens omnibus, suscitans eos à mortuis.* Locum hunc classicum esse, fateor, ex quo gratia Dei universalis, quæ etiam ad induratos ac omnes reprobos spectat, adversus *Reformatos* solide probatur. Nisi enim illa omnibus oblata fuisset, Christus incredulos & reprobos in extrema die damnare non posset. Quia illi excipere poterant, gratiam sibi non fuisse oblatam, ob cujus contemptum & incredulitatem tamen damnari deberent. Enimvero *paralogismus* est, quem inde noster nequit *Censor:*

Quibus

Quibus Deus pœnitentiam agere precipit, illis conversionis gratia nondum præclusa est;
Atque induratis æque ac non induratis Deus pœnitentiam agere præcepit.

Ergo induratis conversionis gratia præclusa nondum fuit.

Hoc ratiocinium de induratis in sensu diviso sumtis totum concedi poterat. Verissimum enim est, quod gratia induratis specificatiœ (non reduplicatiœ) sumtis, antequam iudicium excœcationis & indurationis inciderint, non fuerit præclusa. Alias enim non potuissent, repudiata Dei gratia, per contumaciam malitiosam indurescere. At minor propositio falsa est: Paulus enim Act. c. XVII. de voluntate Dei antecedenti loquitur, quæ Deus omnes peccatores, nullo excluso, gratia sua salutifera dignatus est, & ad pœnitentiam agendam invitavit. Hic vero quaestio est de voluntate Dei consequente iudicialia, secundum quam, Deum, refractarios & induratos semper usque ad vitæ finem revocare ad pœnitentiam velle, nec Paulus h. l. nec alibi dixit. Inde maxime dubium est; an Deus multos expenitus induratis per Apostolorum prædicationem converterit: Cum ipse Chorazitæ, Bethsaidæ, Capernaitæ, Pharisæi & obstinati Judæi per Christi prædicationem, ob indurationem non sint conversi, Matt. XI. 21. 22. 23. Et Paulus cum socio Act. XIII. 46. Deo ita volente, induratis Judæis gratiam ipsius offerre desiit. Nec obstat nostræ sententiæ B. D. Schmidii, aut nostri Dn. D. Cypriani interpretatio loci Actorum: Uterque enim de gratiosa voluntate Dei antecedente loquitur, quæ maxime seria & cupida est salutis omnium hominum, etiam induratorum. Hic vero de consequente vol. iudicialia quaestio est; ac adeo de gratia revocatrice induratorum, qua de ne γεό citati Theologi habent. Equidem laudatus Dn. Cyprianus Disp. Sect. II. thes. LXVI. docet, Deum illos etiam ad pœnitentiam vocare, qui benignitate ejus insuper habita, iram sibi aggravant, quæ induratorum est descriptio, Rom. II. 4. 5. At hic (1.) notantur indurati ex genere irrogenitorum, qui

G

qui

qui per affectatam mentis pervicaciam, usum luminis naturæ opprēssere, veritatem in eo patefactam *in injustitia detinentes*, Rom. I. 18. nobis autem disputatio præcipua est, de *induratis ex genere regenitorum* in Ecclesia: (2.) non de gratiosa voluntate Dei antecedente, quæ etiam ad induratos spectat, sed de voluntatis consequentis gratia revocatrice disceptatio est: qua de nec Apostolus, nec Cyprianus loquitur: (3.) Ego capere non possum, ut quis possit iram Dei, in diem iræ sibi *ἰναραει ζω*; & tamen simul adhuc gratia Dei frui. Sane homo impœnitens, iram sibi accumulans in diem iræ & revelationis justii judicii Dei, non amplius sub gratia Dei est: (4.) Antagonista meus probare etiam tenebatur, quod Paulus induratos Romanos usque ad *finem vite*, ad pœnitentiam revocarit.

Ihes. VII. dictum Ef. LXV. 2. Expandi manus meas toto die ad populum rebellem, repetit: Ergo, colligit, Deus induratissimos usque ad finem vite gratiosè revocat. Verum sumit 1.) non probat, Judæos omnes, de quibus Deus per Prophetam loquitur, fuisse induratissimos: 2.) Sebast: Schmidio interprete, *tota die*, significat, *diu multumque*; non autem *totum vite tempus*, ut Antagonista vult: 3.) hanc gratiam Dei apud Judæos ante finem vite cessasse, Propheta v. 6. 13. 14. 15. diserte dicit. Unde B. Schmidius in Comment. ad h. l. p. 601. de obduratis Judæis annotat, quod *esurverint in spiritualibus futurorum in NB. regno gratiæ & gloriæ; præsentium in regno gratiæ, futurorum in regno gloriæ non facti participes.* Observandam hic etiam monet, distinctionem *voluntatis divine in antecedentem & consequentem*; vocationem illam ad antecedentem referendo, non consequentem, qua de nos disputamus. Jejuna igitur est cavillatio, quando opponit, me in *Disput. de stat. indurat.* §. 29. p. 26. dictum hoc Esaia de apostatis à fide & pietate, *jejune* exposuisse & addidisse, in hac turba fuisse contumaces (ipse infarcit quosdam) & penitus induratos dicitur. At uberio rem se in *der Vertheidigung* p. 13. sequi scilicet explicationem attulisse ait. Verum B. Schmidium, textus

textus Prophetici optimum interpretem secutus, meam sententiam in Epistola ad Rosteuscherum pag. 24. jam probavi. Ultra ergo explicatio, mea; an Antagonistæ, textui congruat, vos *Juvenes optimi*, rogo, inspiciatis jactatam defensionem die *Vertheidigung* p. 13. sequ. & Responsonem ad illam in IV. Additam. oder *Beylage*. §. 11. & ipsimet arbitremini; collato etiam loco Paulino Rom. XI. 21. Rationem, cur Prophetam v. 12. 13. (addo etiam 14.) de penitus induratis locutum esse, jam ex textu, præeunte Schmidio, attuli. Expecto nunc, ut Antagonista rationem ex textu reddat, cur *omnes Judæos*, ad quos manum Deus extendere, fuisse obstinatissime induratos scribat. Coeterum, Deum manus suas, sed *ira*, etiam v. 12. 13. 14. ad induratos extendisse, non nego. Hic vero de extensa manu gratiæ ad induratos quaeritur. *Jeremiam* c. III. 12. compellasse Israelitas promiscue, quos inter tum penitus indurati, tum ex parte indurati fuere, puto, cuivis lectori ita manifestum esse, ut probatione ulteriore haut egeat. Nam Israelitas per captivitatem inter gentes dispersos, & jam à Deo desertos, omnes convertibiles fuisse, nemo dixerit: quin paucos ex illis tempore Apostolorum per prædicationem Evangelii conversos fuisse constat. Quærere tamen ex meo Antagonista lubet; an decem tribubus post abductionem à Salmanassar factam, credat, illis per Prophetas submissos, Dei gratiam subinde usque ad finem vitæ, inter gentiles per multa secula fuisset oblatam? Quod si ex hypothesi sua, quam *πύξ κῆλ λῆξ* tueri vult, affirmat, ulterius lubet quaerere; unde id adstrui queat? Sane Israelitas sat longo tempore in illa dispersione inter gentiles, gratia Dei penitus excidisse, nullus Christianus negare potest. Unde consequitur eos in statu excœcationis & indurationis quoque mansisse ac interiisse. Etsi semini seu posteris illorum, gratia sub N. T. temporibus, & hinc *Jerem. III. 12. seqq. Hof. II. 24. seqq.* offerenda iterum promittatur. Rationem noster exposcit, cur v. 20. cap. III. *Jerem.* penitus induratos notari, dixerim. At mox illam observasse ipsemet videtur; quod fuerit præfracta per-

fidia erga Deum, qualis est adultera adversus maritum. Sed iterum negat hanc perfidam populi desertionem, desertionem Dei totalem inferre. Concedo, si de omnibus Israelitis accipere velis; nego, si de majori parte eorum intelligas; Aut probes, inter Israelitas perfidos, nullos fuisse penitus induratos. Id quod Censor nunquam præstare poterit. Absurdissimum igitur est negare, inter Israelitas illos, non fuisse excæcatos penitusque induratos. Aut probandum venit, quod omnes fuerint convertibiles; licet apostata & sine religionis veræ cultu per tot secula gentilibus mixti egerint. Invitatio ad pœnitentiam & adjecta gratiæ promissio facta est ab Apostolis omnibus, *Colos. I. 6.* Ergo nulli tum temporis inter homines fuerunt penitus indurati & inconvertibiles? Nemo hoc, cui sanum quidem adhuc sinciput est, dixerit. Nec ratiocinium inde, in Syllogismi formam refixum id probat:

Quoscung. Deus cum promissione gratiæ ad pœnitentiam invitat, illis nondum fores gratiæ præcluserit.

Atqui Israelitas illos, de quibus v. 20. agitur, Deus cum promissione gratiæ ad pœnitentiam invitavit.

E. illis Deus fores gratiæ non præcluserit.

Resp. Major limitanda est: Quoscunque Deus promiscuè sine discrimine, *convertibiles* sint, *an non, usq. ad finem vitæ*, ad pœnitentiam semper invitat; illis gratiæ januam non præcluserit: At nunc probanda *Minor* est, quod Deus promiscue, nullo habito respectu, an gratiam conversionis admissuri sint, an non, ad usq. vitæ finem invitaverit, (hoc enim addendum est; nam induratos specificativè dictos, vocatos esse, concessi.) Addo etiam D. Carpovii ex *textibus* ejus *pœnitentialibus* annotationem ad h. l. p. 419. Diesem nach ist unser Text (*Jerem. III. 12. 13.*) nicht bloß NB. für eine Annahmung zur Buße/ sondern für eine Weissagung von Befebrung der zehn Stämme/ so zur zeit N. Testaments geschehen sollte/ anzunehmen/ welche den Juden in dieser Straff-Predigt eine Furcht und Schrecken einjagen/ denen zehn Stämmen aber/ welche zur Zeit N. Testaments übrig seyn würden/ so wohl als andern Heyden/

Seyden / auſſer der jüdiſchen Kirche / gute Hoffnung und Vertrauen
 machen ſolte: Ideo nec illa promiſſiones Dei illuſoriae erunt, cum
 voluntate antecedente omnes ſeridò invitare velit; ſed conſe-
 quente judiciaria refractarios ſpectante, etiamſi externus verbi
 ſonus auribus illorum (Deus enim Prophetis diſcrimen conver-
 ſibilium & inconvertibilium peccatorum quoad individua non
 ſolet manifeſtare, Rom. XI. 4.) illabatur, gratia Dei conſer-
 uatur. Hoc toties ad nauſeam uſque inculcatum fuit. Quod
 Rechenbergius ante XXII. annos, de gratia Dei univerſali & *Ju-
 re Dei in domum Iſrael* ſcripſit, id adhuc ſentit: Nec quæ cap. I.
 theſ. 4. in citata diſput. dixit, jam revocat. Credo adhuc, quod
 vafa diſtorta in via ſua confringat Deus; & qui reſpiſcunt, nova
 gratiæ vafa fieri ſinat. Quod autem iſthoc tempore non inter
 penitus, & ex parte induratos diſtinxerim, cauſa fuit, quod non-
 dum illud diſcrimen Theologis quippe notum, in dubium voca-
 retur. Nec prævidere poteram, ullum fore tam præcipitis animi,
 qui id negaturus eſſet. Cæterum apud Ezechielem c. XI. 19. ſer-
 monem eſſe de induratis, puto, ex phraſi Prophetæ (*cor lapideum*)
 conſtare; quod autem non omnes penitus induruerint, probat
 promiſſa mutatio *cordis lapidei, in carneum*: verſu autem 20. agi
 de penitus induratis, ego nunquam ſcripſi, verſus enim 21. à me
 allegatus fuit, ex quo ita argumentor: Quorum cor Deo eſt abo-
 minabile & deteſtabile, ita, ut propterea ipſe illos ſeveriſſime pu-
 nire decreverit; illi ſunt penitus indurati ac inconvertibiles: At-
 qui tales v. 21. cit. deſcribuntur: Ergo. Penitus verò induratis
 & inconvertibilibus gratiæ januam in hac vita præcluſam eſſe, ab-
 ſolute jam jam demonſtratum eſt. Locus *Hülſemanni* ex *Comment.
 in Ferm. c. VI. 12. in Additam. III. oder dritten Beylage p. 78.* tranſ-
 ſcriptus ita manifeſte probat, *præcipuam populi Judaici partem fu-
 iſſe induratam, ut emolliri non potuerit*, ac etiã impoſſibilitatem
 pœnitendi ex parte ſubjecti incluſiſſe, ut cordatum lectorem ſtu-
 poris arguere videri poteram, ſi toties dicta, more Cenſoris mei
 recinerem. Quæ alia verba ex *Hülſemanno* obvertit, non invenio

In aphorism. *theoret.* allegatis. Bene tamen sese res habet, quam notat; nempe indurationem excœcatorum *non esse incurabilem ex decreto absoluto*, ut Calviniani volunt, sed *incurabilem ex vitio subjecti*: quod sæpius jam ad nauseam usque dictum est.

Quando autem novellus Censor *Thesi VIII.* auditores suos, ad scripta Symmachorum suorum evolvenda remittit, ego quoq; Vos, *Juvenes Optimi*, rogo, ut mea, quibus illorum objectiunculas & nanius dilui, conferre dignemini. Distinctionem induratorum, quam §. *XXVIII.* ex nostris Theologis in medium attuli inde frustra vellicare pergit Censor, subinde repetendo thesin suam nondum probaram: *penitus nempe induratis, ante finem vite, gratia januam patere.* Afferueram l. c. cum meliore Theologorum parte, Apostolum per Romanos, *εις ἀδόκιμον νῦν*, in mentem judicii expertem traditos. Rom. I. 28. & Ephes. IV. 18. 19. *ἀπηλγηγότας* factos, intelligere *penitus induratos*; hos autem inconvertibiles fuisse ex statu indurationis, quem vocabula emphatica usurpata innuunt, asserui. Hanc assertionem ut ulterius probem, *Censor* quippe opponens imperitè à me poscit; cum ipse tanquam importunus actor contrarium probare teneatur. Obvertit quidem iterum B. nostri Rappolti auctoritatem. At illius mens jam in Epistola ad Rosteuscherum p. 40. 41. ita dilucidata fuit, ut meæ principali thesi plane non repugnet; dum ipse pag. 2234. Opp. statuit, *terminum longanimitatis velut peremptorium agenda pœnitentia à Deo constitutum fuisse.* Quando autem is cum Episcopo locum Rom. I. 21. 24. 26. ex I. Cor. VI. 9. & II. explicare vult, fateor, me ab illo in disputatione mea §. 28. modeste dissensisse, rationemque dissensus attulisse, quam *Censor* ipse principium perens, frustra vellicare niritur. Dicit enim, eadem flagitia, quæ Paulus Romanis in reprobum sensum datis tribueret, etiam Corinthiis tribuisse, quos olim his sceleribus immersos, sed postea per Dei gratiam conversos fuisse prædicet. Enimvero probare omisit Censor, quod Corinthii *per omnia, eadem* flagitia, quæ Romani in sensum reprobum dati admiserint,

ac

ac inde induruerint. Id quod nec Paulus scribit, nec *Censor* ex I. Cor. VI. 9. II. probare valuit. Nec ego, quam ipse fingit, sequelam B. Rappolto tribui, id tantum asserens, non evinci inde posse, Corinthios conversos antea fuisse induratos, ut multi ex Romanis, quos conversos fuisse non legimus. Interim largior, quod Rappoltus asserit, ab excœcatione & induratione partiali ad pœnitentiam dari regressum. Hic autem de *totali, omnimoda & consummata*, vel, ut B. Lyserus vocat, *confirmata* excœcatione & induratione quæritur, à qua ad pœnitentiam, ex Lutheri & aliorum Theologorum optimorum sententia, non datur regressus. Qui cum Selneccero & aliis dicunt *induratos* raro converti, de *inchoata* induratione, vel de semi-induratis, hoc est, atrocibus peccatoribus loquuntur. v. Disput. de Statu indurat. §. 35. Id quod etiam in Epistola ad Rosteuscherum pag. 39. cum Rappolto assertum fuit. Nam & ille inter indurationem *antedentem*, quæ nobis est *inchoata* seu partialis, & inter *finalem*, hoc est perseverantem, & consummatam distinguit. Ac adeo auditoribus suis iterum frivole imposuit *Censor*, ac si à Rappolto hic dissensisset. Quæ ille porro circa locum Ephes. IV. 17. tricatur, in Epistola ad Rosteuscherum p. 40. & in IV. Additamento oder Beylage p. 108. diluta sunt. Nec B. Musæi doctrina de *Convers. Diss. IV. ibes. 66.* mihi hac in parte obstat. Is enim non de secunda conversione, quæ per pœnitentiam fit, sed de prima hominis irrogeniti loquitur, cui *ἀναλογία* duritiam seu *dedolentiam*, nempe connatam & peccandi consuetudine roboratam tribuit; sed quæ nondum consummata & extrema est, qua de nos disputamus, eam inquam, ex phrasi Paulina Ephes. IV. 19. Musæus tantum declarat. Eandem esse mentem Balduini ex l. II. de *Cas. Consc. c. 10. p. 273.* ex ipso probat: *Tale cor (induratorum) est in peccatis sordescentium, qui jam longo usu habitum peccati attraxerunt. Quicquid his dicas, surdis auribus dicis: exhorrescunt quidem, cum de pœnis peccatorum & exemplis eorum, qui eas jam luerunt, audiunt; sed cito transit metus ira divina; quia serotilis est, vix ter-*
ga ver-

ga vertente Doctore, ad antiquum redeunt gentium: qualis Felix, qui cum Drusilla uxore Paulum audiebat dicentem de fide in Christum, de justitia, de castitate, de judicio futuro, tremefactus respondit: Vade, tempore opportuno te accersam Act. XXIV. 25. & pag. 277. quod verbum Dei talibus predicatum non fructificet, declarat ulterius: Quemadmodum enim, ait, semen nullum tam bona est natura, quin degeneret, si in agrum non rite dispositum cadat. ita & semen illud verbi divini natura sua incorruptibile; NB. nihilominus corrumpitur & efficaciam suam amittit, si cor auditoribus rite dispositum non fuerit. Idem Balduinus l. I. c. 15. conscientia in officio suo vel NB. SEMPER IMPEDITUR, vel AD TEMPUS: Semper impeditur, NB. cum homines in reprobam mentem dati, bonum judicant esse malum, & malum bonum; & sic errore judicii in malo sub specie boni persistunt, NB. & pereant sine poenitentia. Idem l. I. c. 14. Frustra enim est, quod multi (Censor meus cum afflicis suis) existimant, sufficere NB. si in ultimo agone agnoscant se peccasse, & ad misericordiam Dei confugiant. Multos enim peccati veteris ita consopivit, ut NB. ad seriam peccati agnitionem nunquam perveniant. Conscientia etiam ipsorum tot saepe cruciatibus angitur, ut de misericordia Dei serio cogitare nequeant, unde in desperationis barathrum precipites ruunt. Et tales per malitiam ἀπηλκότες fiunt. Quæ censor de possibilitate poenitentiae omnibus aequali subdit, ex parte Dei, non vero ex parte hominis gratiam malitiose repellentis, verissima sunt, ut ad nauseam usque sapillimè inculcatum est.

In Thes. IX. Lector vel Censor noster negat, Judæos Rom. XI. 7. Joh. XII. 40. fuisse totaliter induratos. At Apostolus illos excoecatos & induratos opponit electis, & ut illis gratiam Dei & electionem; ita his ob præfractam duritiem cordis, abjectionem & excoecationem totalem v. 8. 9. 10. 15. 25. tribuit. Johannes autem cap. XII. 39. de his dicit, quod ex vaticinio Esaïæ VI. 9. hic adimpleto, non potuerint credere. Quid amplius desiderat Censor? B. Musæi autoritas quidem iterum obvertitur, quod ille conversionis termi-

num à quo, statuat *πάρωσι* τῆς καρδίας. Verum ille de *πάρωσι* hominum irrogenitorum, non de regenitorum ex malitia contracta, quæ Judæorum fuit, loquitur. Instat tamen *Censor*, Paulum 2. Cor. III. 14. & Rom. XI. Israelitis quidem *πάρωσι* tribuisse; in epist. cit. tamen ad Corinthios v. 16. Rom. XI. asserere, Judæos converti posse: Ergo *πάρωσι* illam seu indurationem totalem, non impedire conversionem colligit. Verum sæpius jam responsum est, primò distinguendum esse inter omnes Judæos, & partem judæorum: Paulus Rom. XI. 25. Judæis *ἀπὸ μέγας*, ex parte, *πάρωσι* contigisse, non omnibus, ait. Igitur aliqui conversi sunt, & adhuc converti possunt. v. Formul. Conc. p. 813. Deinde distiguenda sunt tempora: Paulus enim futuro tempore, majorem conversionem Judæorum instare Rom. XI. 25. 26. & 2 Cor. III. 6. prædixit. Distinguat ergo *Censor* tempora, & concordabit scriptura. Et mea etiam verba ex *Disput. de Jure Dei in Domum Israelis* c. 1. th. 13. allegata non discordabunt; spem nempe recuperandæ salutis superesse Judæis, fixo iræ divinæ termino præterlapso; nec de æterna, sed tantum de temporali rejectione, hoc est, ad certum tempus divinæ providentiæ notū, restricta loquor. Quæ de loco Eph. IV. 19. & alia hic *Censor* repetit, sæpius jam diluta sunt. Nolo crambem toties recoctam hic adponere. Verum enim est, quod Judæi non ex absoluto decreto æternum rejecti sint: At quod Spiritu *κατανύξεως* Judæi soporati quasi conversi sint, adhuc *Censori* probandum restat. Quid *cauteriata conscientia* 1. Tim. IV. 2. sit, optimè, ni fallor, B. Balduinus l. 1. de Cas. Consc. c. XI. p. 27. exposuit: hoc est, quæ igne malitiæ combusta & veluti *stigmatē* NB. indelebili notata. Hanc ex metaphora ibidem usurpata porro declarat, quod *conscientia in multis ita sit rescēta per malitiam, ut animus* NB. plane *calum obduxerit, & nullum reverentiæ divinæ sensum percipiat*. Item: *cum hac conscientia (cauteriata) specte coheret* NB. *mens reprobæ, quæ malum judicat bonum & bonum malum; ideo etiam in rebus pessimis nulli stimuli, nullæ punctiones sentiuntur; quia mens semper avida est ad patranda quamvis impuritatem*, de qua Paulus agit, Rom. I. 28. Ephes. IV. 18. Et p. 31. scribit, *talem conscientiam* NB. *semper impediti* & sic

Et sic errore iudicis in malo, sub specie boni, persistere & perire sine pœnitentia. An hæc descriptio non est character indurationis totalis? Eadem sententia est B.D. I. Schmidii comment. in Zach. p. 1542. Quæ ex Dannhauero nostro *Censur* adducit, probant, ipsum cauteriatam conscientiam paulo laxius usurpasse, pro stigmatibus & stimulis conscientia, qui ex patrato scelere, in animis hominum postea pœnitentiam oriuntur: id quod exempla ab ipso allegata testantur. Atq; horum conscientiam adhuc medicinam admittere, nemo negabit: In solo Satana etiam indurationem *absolutè* impervincibilem esse, jam in *Additam. IV. p. 138.* concessi. Alia vero ratio *conscientia cauteriata* in homine penitus indurato est, quæ ante caveri, & cum nondum callum obduxisset, vinci potuisset; adeoque non absolutè invincibilis est, ut in diabolo omnis gratia experte. Locus Deut. XXVIII. 28. *Percutiet te J E H O V A* furore & cœcitate & stupore cordis, qui non de totali induratione exponere velit, eum cœcutire oportet, aut verbis divinis vim facere. Locus vero Deut. XXX. 1. 2. illi nec parallelus est, nec sensum priori loco expressum emollit. Nam Deus c. XXVIII. multas scelerum maledictiones immorigeris Hebræis, ob perversitatem cordis comminatus fuerat, quæ c. XXX. 1. 2. pœnitentia seriosa nondum penitus furore & stupore mentis perciti sint, elui posse, Dominus dicit. At inde non consequitur, quod etiam extremum malum, hoc est *traditionem in sensum reprobum*, quam verba illa denotant, iterum auferre velit. Qui enim huic immerfus, veram pœnitentiam, à Deo quippe desertus, nunquam agit aut agere potest. Quapropter post Lutherum & alios Theologos, D. Joh. Schmidius etiam hunc locum de totali induratione interpretatus est. Ps. LXIX. 24. sq. *B. Geierus* in Comment. fol. 1226. & 1240. cum sanioribus Theologis, de totali excœcatione & induratione, qua quis *justo Dei judicio obbrutescit & excœcatione sic ruit de plaga in plagam*, exponit. Quapropter loca etiam, quæ de induratione totali agunt, *Jes. VI. 9. Jer. V. 21. Matth. XIII. 14.* adducit. *Censur* quidem noster de Judæis incredulis agi concedit; sed qui non ob præclusum gratia terminum; verum propria malitia perierunt. At coccysmus est. *Quis enim dixit, homines ob præclusum gratia terminum indurescere? ob pervicacem*

cacema contumaciam & præfractam malitiam, gratiam Dei subtrahentes dictum est. Hanc vero terminus gratiæ postea justo Dei iudicio comitatur. B. Hunnii verba adducta jam in IV. *Additam.* p. 137. adprobavi; sed ita, ut quæ ille *Postill. Part. II. fol. 376.* à nobis *disput. de indur.* p. 33. allata scripsit, simul amplectar, quæ Censoris opinionem plane destruunt. Non enim consequitur: Deus nullam gentem ita penitus abjecit, ut nulla ipsi in perpetuum aditus gratiæ pateat; Ergò non dantur penitus indurati in hac vita, quibus gratiæ janua præclusa sit. Quis ita ratiocinantem ferat, & non stuporis arguat? conferri tamen meretur Formul. Concord. p. 813. Locus Matth. XXI. 43. quo Christus Judæis prædicit: *auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus ejus,* si non de ablatione gratiæ divinæ agit, ex Censore nostro scire velim, quid aliud verba ista notent? Sane ita manifesta sunt de ablatione regni gratiæ & beneficiorum, quæ illud includit, ut Pyrrhonicum esse oporteat, qui de eo dubitet.

In Thes. X. Censor inani repetitione frivolorum scrupulorum super sedere potuisset, nisi data opera Auditotes suos morari aut confundere instituisset. Quæ enim recinit de induratorum exemplis, jam sæpe discussa prostant, ut de Antediluvianis, *Additam. II. p. 44. seq. Additam. IV. p. 68. 69.* Nec est, cur meam Propositionem oder Deutl. Vortrag §. 33. mihi opponat: nullum enim ibi verbum extat, quod gratia Dei Antediluvianis usque ad mortem frui datum fuerit. De Pharaonis induratione totali ante suffocationem in undis, *Censor* præceptoris sui B. Varenii verba in *Disput. de statu indurat. §. XVII.* recognoscat, qui Pharaoni omnem resipiscentiæ gratiam ante ablatam fuisse scribit, probatque. Judæ proditoris indurationem totalem *Additam. II. p. 38. Additam. IV. p. 37.* probavimus. Væ sane filio perditionis jam denunciatum, semper exclusionem à gratia denotat, adeoque conversionis spem aufert, *Matth. XXIII.* Væ scandalizantibus *Matth. XVIII.* denunciatum est comminatorium, ac hypotheticum; nisi resipiscant. Judam autem ad meliorem mentem non rediturum esse, Christus jam prædixerat, *Joh. VI. 70. 71. c. XVII. 12.* Protritam Reformatorū objectiunculam de præscientia Dei, à qua ad prædestinationem argumentantur, Formula Conc. artic. XI. dudum

eligit. Quod Deus præscit futurum, utique necessario fit; sed non necessitate consequentis, sed consequentie. At ubi Rechenbergius ita collegit: Christus præscivit, Judam filiam perditionis esse; Ergo iste ideo excœcationem & exitium æternum evitare, aut absolutè converti non potuit. ?

Thesi XI. conclusionem suam repetit jactatq; ceu jam demonstratam, nondum in medium allatis præmissis, earumq; probatione. Scio *Juvenes Optimi*, vobis ex dictatis Censoris nondum eam patere, licet magno hiatu probare, & velut ex Cathedra, vel pro tribunali determinare hanc vano molimine tentarit. Relegite, quæso, ejus dictamina, & vobiscum ponderate; an ullum argumentum solidum in illis occurrat, ex quo Conclusio hæc prodeat. *Ergo omnibus penitus induratis fores gratiæ divinæ usque ad extremum vitæ halitum patent.* Ego certe nullum observare potui, quod non ante abunde dilutum sit. Aliud est sententiam undiq; conquistis strophis vellicare; aliud eandem solidis argumentis evertere. Si utiq; tantopere flagravit, mecum publice de mota jam controversia disputare; cur nou in palæstra solenni ad disputandum, ut ipsi liberum fuit, comparuit, & coram eruditorum cœtu, mihi scrupulorum suorum copiam fecisset illos eximere non valuissem, lubenter memet ab ipso rectius informari passus essem. At vobis, *Juvenes Optimi*, imponere maluit, nœnias in calamum dictando, quam placide cum Collega, ut mos alias in Academiis est, conferre sententias. Imo nunc novam Aristarchi personam induit, & quæ supercilio suo alia sese minus adprobarunt, virgula censoria notare instituit.

Videbimus ergo, quæ ejus perspicacia sit in notandis aliorum orthodoxorum Theologorum scitis. Primum censet, quod in *thesi XVIII.* cum B. Balh. Meisnero statuerim, omnes induratos esse reprobos. Hoc falsissimum esse dicitur: quia hæc Meisneri sententia errorem, quem tam operose cum affectis suis adstructum ivit, destruit. Rationem tamen ex *Rom. XI. 14.* adfert quod Paulus aliquos ex induratis Judæis, ministerii sui ope salvatum iri sperasset. At nondum animadvertit, quod sapius tamen inculcatum fuit, discrimen inter penitus induratos, & ex parte induratos Judæos. Ex illis aliquos, ante terminum conversionis majoris futuræ præfixum, conversos esse, probet necesse est; si fidem apud Theologos mereri velit; ex his autem plures conversos esse, nemo negat. Paulus vero etiam ante extremum diem, majorem conversionem Judæorum instare speravit atque prædixit, ut supra annotatum. *Meisneri* autem sententiam ab errore, quem putat, liberare contendit; nempe cum per induratos intellexisse *peccatores in Spiritum S.* At licet hoc falsum sit; Aristarchi tamen opinio hac ratione evertitur, tum quod tales peccatores sint etiam indurati, tum quod ipse hactenus negavit, peccatores in Spiritum S. esse inconvertibiles. Interim verissimum est, quod Meisnerus statuit,

tuit, indurationem non excludere Dei propositum de salvandis induratis; sed quæ ille notanter contra Calvinianos, de reprobatione infidelium p. 350. addit, Aristarchus noster integra transcribere omisit: *Hinc apparet* (Meisnerus ait,) *indurationem non esse NB. ABSOLUTAM, excludentem omne Dei propositum de salvandis iis, cum in eum finem toleret, ut respiciant.* Deus enim induratos, antequam ad extremum hujus malitiæ gradum pervenirent, tollere posset; at quæ ejus est longanimitas, istos tolerat, ut nisi præfractè repugnarint, ante consummatam indurationem respicere possent. Quando vero illam inciderunt, Meisnerus non dixit, istos adhuc converti posse. Verissima interim illius sententia, quod Deus induratos non absolute, aut ex absoluto decreto reprobarit. Id quod ipse in allegata disputatione fati declaravit.

In Thesi XII. Aristarcho nostro displicet, quod in *thes. XXII.* disput. de statu induratorum, novellorum interpretum errorem, Socinianorum placitis affinem notaverim: qui comminationes Mosaicæ & Propheticæ de pœnis tantum temporalibus exponere audent. A quo errore Calvinum etiam & H. Grotium non fuisse immunem, constat. At ille parastatas suos hac in parte excusaturus reponit; nostrates etiam nonnullas comminationes divinas ita interpretari, v. g. de bello, peste, fame & aliis malis. Id quod verissimum est. Verum illi non cum Censoris nostri parastatis, dicta in *Propositione mea* (*Deutl. Bortrag*) §. VI. VIII. X. adducta, ad pœnas temporales tantum, ut hi ad incrustandum errorem suum, trahunt. Deus enim per Moysen & prophetas non solum pœnas temporales, sed etiam spirituales & æternas minatur atque immitit. Nec ego illas sine conditione *perseverantis*, quæ semper etiam *finalis* est, *impœnitentiæ* infligi, uspiam asserui. Itaque male-oculatum zelum iterum apricatur, quando B. Boesio Socinianum errorem affingit, ac si ille terminum peremptorium, (quem imperite pro absolute fatali habet) causam exclusionis à gratia statuisset, quod falsissimum esse, ex Actorum relatione publice jam constat. Nescio etiam, an Aristarchus noster Socinianorum hypotheses, hac quidem in parte, rectè intellexerit. Illi enim dum comminationes divinas in V. T. solum temporales pœnas respicere præsupponunt; inde supplicia post hanc vitam damnatos mansura, in N. T. (ut & promissiones vitæ æternæ) esse manifestata colligunt. Adeoque non, ut *Censor* meus opinatur, ex æternitate pœnarum infernalium negata, comminationes illas de pœnis temporalibus tantum exponunt; sed hanc, inter alia, ex illis deducere præsumunt, impiorum & dæmonum annihilationem statuentes. Cæterum mentis suæ absurditatem aperte ipse prodit, quando mihi ex suo cerebro confictam consequentiam hanc affingit: *Spirituales pœnæ sunt graviores temporalibus; Ergo nulla Mosaica & Prophetica comminatio de temporalibus pœnis explicari debet; Illam consequentiam à sapientibus Stoi-*

De nunquam ego probatum iri, censeo. Et ego, mi *Censor* importune, talem in disputatione de *Statu indurat.* p. 18. 19. nunquam Stoicis sapientibus tribui, meamque feci. Ut autem mentem cum parastatis suis rectius intelligat meam, atque cavillari desinat; tentabo illam clarius pandere. Novelli interpretes cum nonnullis Judæis & Socinianis, comminationes plurimas de desertione divina, de bonorum ablatione, poenarum inflictione, ob erroneam thesin, quam propugnant, de poenis tantum temporalibus interpretantur; quæ in ablatione bonorum, & malorum temporalium immixtione consistere. At vero fideles ob divinas comminationes & desertionem Dei maximè anguntur animi; ut ex Ps. XXXVIII. 22. 23. LI. 13. LXXI. 9. 18. CXIX. 8. constat. Inde ego, ut absurditatis novos hosce interpretes Christianos convincam, arguo; non posse illas comminationes poenarum de malis temporalibus seu corporalibus tantum intelligi: quia propter hæc mala, quæ Stoicis externa, aut fortunæ appellantur, fideles ita anxie queri non possunt: cum Stoici, gentiles licet, ob bonorum externorum quæ temporalia sunt ablationem, aut malorum perperationem, non considerint animis, sed patienter magnoque animo tulerint. Cum autem legamus, fideles ob comminationes divinas tantopere animi anxios fuisse; inde colligo, eas non de poenis tantum temporalibus potuisse intelligi. Quia fidelibus magis haut dubie robur animi ex fide & spe fuit, quam Stoicis, præsidii philosophiæ moralis tantum subnixis. Hanc connexionem si capere vult *Censor meus*, non ab *sanam* mihi suam occinet *consequentiam*; quippe quam cavillandi gratia tantum, ut Auditoribus suis imponeret, confinxisse videtur.

Non minus vero *ib.* XIII. absurdus est *Censor*, quando ex sua thesi vel conclusione falsa, distinctionem Theologorum inter *totalem* & *partialem* Dei desertionem, §. XXIV. *Disp. de stat. indurat.* impugnatum it, nulla ratione in medium allata, præter coccyssimum sapissime repetitum: *Fores nempe gratis omnibus induratis ad finem vite patere.* Quo ipso *principium*, tanquam Opponens petit. Respondens enim ego, ut ex arte disputandi notissimum est, *principium* petere non possum, quando theses, quas adversarius infringere non valet, meas repeto. Ipse autem mihi perperam affingit, quod in asserenda distinctione, inter *desertionem* Dei *totalem* & *partialem*, fundamenti loco discrimen peccatorum inconvertibilium & convertibilium substraverim. Ubi vero? in citato §. XXIV. certe id factum non est. Desertionem Dei respectu peccatorum convertibilium & inconvertibilium, dici vel *temporariam* seu *partialem*, vel *totalem* seu *finale*, cum probata fidei Theologis asserui. An vero hoc est, illam distinctionem huic fundamenti loco substernere? Fundamentum desertionis divinæ est duplex, *induratio partialis*, & *totalis*; hanc dein sequitur desertio Dei, quæ iudem vel *partialis*, vel *totalis*. Inde vero peccatores sunt vel convertibi-

vertibiles vel inconvertibiles. Verissimum interim est, quod promissiones gratiæ comminationibus adjectæ promiscue (ut nostra verba in disputatione habent,) ad omnes induratos sine discrimine applicari nequeant: quia in populo, vel inter auditores semper plurimi inveniuntur refractarii, & extreme contumaces peccatores. Negat hoc *Censor*; sed principium more suo petendo, & cavillando; quasi ego induratissimos à gratia divina exclusissem. Quibus Deus in verbo suo gratiam denegat, illis sane nemo mortalium gratiam promittere debet. Interim cum homini de hujus vel alterius animæ statu non certo constet; huic aut illi de salute sua sollicito aut anxio solatium denegare non licet. Deus quidem in suis promissis semper veracissimus; at qui illa contra verbum promissionis, quod intra divinitus revelatam τάξι ac ordinem semper intelligendum, citra illum ordinem, omnibus induratis promiscue gratiam ἐν θείῳ pollicentur, mendaces fiunt, ac verba, ob turbatum mentis statum, induratis tantum dant inania. Probare enim tenentur, ubi promissiones gratiæ induratis (reduplicative sic dictis) à Deo factæ sint. Hactenus enim nullum adhuc dictum S. Scripturæ aut argumentum allatum vidi, ex quo de illa promissione certo constet. Quod *Censor* hic cavillatur, τὸ περιόμενον est quod ὡς διδόμενον sumit. Quemadmodum & hac de causa, ipsi etiam *Io. Damasceni* locus ex l. II. de *Orthod. Fid. c. 29.* non ad palatum est. Quia ille derelictionem Dei finalem statuit, ac in hac vita immedicabilem & insanabilem indurationem, (aliis totalem omnimodam & consummatam dictam) admittit. Quam *Censor* nosse impiorum esse concedit, penitus induratorum esse negat; ac si tales non essent impii, aut impiorum nulli forent gradus. Enimvero qui εἰς τέλειαν ἀπόλειαν, in finalem perditionem, ut Judas, traditur; is ex *Censoris* nostri sententia, non omni gratia privatur. Quid autem ejusmodi homini miserrimo, item Pharaoni & Sauli, (quæ exempla ex Pelargo ipse addit,) gratiæ sit reliquum, vellem clarius edisseruisset. Omnia enim illos gratia excidisse, Theologi alias credunt & profitentur. Derelictionem partialem, quam *Damasceni* οὐκονομικὴν καὶ παιδευτικὴν, ἢ πρὸς ἐπανάθεωσιν καὶ σωτηρίαν καὶ δόξαν πάχοντος γνωμένην, appellat, ad Davidem quidem & alios pios tentatus applicari posse, non negaverim; ad Christum vero ut tota accommodari queat, non video; nisi cum Socinianis quibusdam, quod blasphemum est, imbecillitates peccaminosas illi tribuere velis. Rectius vero *D. Balth. Meiserus* Theologus γινώσκων Lutheranus *Comment. in Hos. c. IV. p. 464.* de divina desertione scribit: *Deserit, inquit, Deus quandoque pios, & deserit impios; sed diverso modo: Pios ad tempus, imponendo crucem, non tamen plane subtrahendo gratiam: impios NB. & INDURATOS IN PERPETUUM, tradendo Satanae & DENEGANDO NB. OMNEM GRATIAM, unde illa desertio à Damasceno l. II. c. 29. vocatur παιδευτικὴ vel correcti-*

correctiva; hæc ἀπογνωστική vel desperativa, & hæc minatur Dominus v. 14. &c.
 In Thef. XIV. & ultima saltum iterum more suo transultorio, ad §. XXIII.
 Diss. de Statu induratorum facit Censor, ac refutare quæ nescit, ως Φοβισυετος,
 diffilare vult. Verum ipsi accidit, quod non-nemini lapides ingentes diffilare
 volenti; istis autem immote consistentibus, dixit spectatoribus: *videtis me qui-*
dem velle, sed non posse. Theologorum testimonia, qui non quovis vento doctri-
 næ (Ephes. IV. 14.) lati sunt, adduxi; ac adeo non quovis vento diffilari posse, ut
 quidem Censor opinatur, existimo. Circa locum Io. Schmidii in Diss. meap. 26.
 allegatum, perperam monet, cum Balduini esse. Verba enim B. Schmidii com-
 ment. in Zachar. p. 1542. hæc sunt, cum κεαυτηθρασυβειας την ουνειδον
 2. Tim. IV. 2. explicat: *ab hoc igitur ait, postremo gradu contumacia, qui cum*
induratione conjunctus est, quilibet sibi caveat, is enim plerumque æternum ani-
mæ dispendium habet comitem &c. Hæc quomodo mihi adversentur, nondum
 capio. Cum fieri per extraordinariam Dei gratiam superabundantem potuis-
 set, ut etiam Sodomitæ indurati, fuissent conversi, Matth. XI. 23. Interim rarius
 Deus hæc superabundantem gratiam induratis dispensat, ac adeo illis certo pro-
 mitti nequit. Brentii, Theologi Lutheri iudicio magni, verba, quæ non mea
 feci, hic impugnare ut queat, non video. Si alia nominatorum testimonia Theo-
 logorum opponi possunt, videbimus, an sibi met ipsis contradixerint. Το εναν-
 τιοφανες, sæpe alias εναντιωμα ab imperitis dici, non ignotum est.

Dilutis nunc breviter Aristarchi mei Strophis, pari jure, quod sibi teme-
 re hæc in parte arrogavit, nenas suis disputationibus passim insperlas, Vobis,
juvenes nobilissimi, ostendere, easque coronidis loco hic discutere poteram.
 Verum ne odisse virum, aut malevolis forte, causam litigandi quæsisse me vi-
 dear, ea censura jam abstinebo. Doleo vero, *Juvenes Optimi*, quod operam
 vestram in dictatis Censoris, calamo excipiendis perdidistis, nulloque vestræ
 industriæ fructu aut commodo, tempus frustra insumsistis: cum illa jam ty-
 pis exscripta Censoris magis, quam meæ famæ opprobrio, ab omnibus, sine scri-
 bendi molestia legi queant. Interim tamen rogo Vos, ne hæc meas vindicias,
 cum dictatis Censoris conferre pigremini; ut quid distent æra lupinis, rectius
 cognoscatis, atque veritatem divinam sine partium studio imbibatis fideliter-
 que servetis. Censori autem meo divina monita 1. Cor. I. 10. it. c. III. 3. Phi-
 lipp. II. 2. 3. 4. 2. Timoth. II. 24. Jacob. III. 13. 14. seqq. commendo expendendæ;
 Deum per Christi nomen precatus, ut cordi ipsius caritatis ac pacis studium in-
 spiret, quo tandem aliquando cogitet, *quam bonum & quam jucun-*
dum sit, fratres etiam habitare una, Pf. CXXXIII. 1. Scribeb. Li-
 psia XIX. Jan. A. Reparatae Salutis, M DC Cl.

J. D. G.

